

De 1740









12
Jesu Meo Redemptore Moderante!
Spicilegium Historico-Philologicum
HISTORIAM
LITERARIAM
ALCORANI,

Siftens,

Quod

Benevolo Amplissimi Senatûs Philosophici Consensu,
In Inclÿta Patriæ Academia

PRÆSIDE

VIRO Plur. Reverendo, Clarissimo, atq; Excellentissimo
DOMINO

M. ZACHARIA GRAPPIO,

SS. Theol. Ddo. Phys. ac Metaphys. Profess. Publ. Ordin.
ut & ad D. Jacob. Cathedral-Archidiac:

Patrono atq; Præceptore suo, omnis hono-
ris & Observantiæ cultu æviternum Colendo,

Devenerando,

Placido Eruditorum Examine

In Auditorio Majori

ANNO M DCCI. die Septembris

submittit

Responsurus - Auctor

JOACHIMUS Mantheyl

Rostoch. Megap.



ROSTOCH!

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff. Senatûs Typograph.



1654

VIRIS
PLURIMUM REVERENDIS, PRÆCELLENTISSIMIS
DOCTISSIMISQVE

DN. M. JOH. *Wanzeln* /

Ecclesiæ quæ Jesu Christo Neocaldi colli-
gitur Pastori Vigilantissimo, nec non Synodi Dar-
gungo-Neocald. Præposito meritissimo,

Domino Patruo ac Patrono, ut par est, ad-
bustum usque devenerando,

Sic &

DN. M. HENR. *Naries*.

Pastori Boddinensi Fidelissimo,

Domino Avunculo atq; Fautori omni ho-
noris cultu & vultu ætatem suscipiendo, suspiciendo,

Ac

DN. CASPAR. *Wanzeln* /

Pastori Jördensdorffensi meritissimo.

Domino Patruo itemq; Fautori omni offi-
ciorum genere, dum vivo, summoperè decolendo,

*Hæc Academicarum Primitias,
studiorumq; suorum quæcunq;
Testimonium,*

Et observantia cultusq;

Sacramentum

devotissimè consecrat, dedicatq;

Joachimus *Wanzeln* Rost.

A. & R.





Vanta sit Historiæ Literariæ utilitas, quanta necessitas norunt omnes, quotquot literas elegantiores amant. Equidem olim in Ignorantiæ Seculis Historia Literaria non adeo optimæ erat notæ; Sic enim teste *Joan. Sarub. Metalogic. lib. I, c. 3. Poeta & Historiographi habebantur infames & si quis incumbere laboribus antiquorum notabatur, & non modo Asello Arcadiæ rardior, sed obscurior plumbo omnibus erat invisus.* Hodie vero studiis resercentibus majores Historiam Literariam circumstant laudes, eæque non immeritæ ob insignem plane, quem Orbi literario communicat usum, ob quem meritò quotidie magis magisque excolenda esset. *vid. B. Morhof. in Polyhist. Lib. I. c. 2.* Tollas enim Historiam Literariam, etsi nulla forent damna alia, id damni fat esset, quod confusio certe non exigvæ studia elegantiora exponantur. Vestigia hic ubivis sunt obvia, ex infinitis aliis sufficiant illa, quando ipsi Librorum Tituli, ceu Autores aut alii Homines honorantur. (cujus rei exempla qui desiderat, plurima apud *Joh. Möllerum in Thes. Philol. p. 434. & F. A. Scherzerum in Programmatis p. 246.* Cabbalam, hominem fuisse credunt, perfidum & diabolicum, imo Vetulam beneficiis deditam. Alii librum illum, R, Moysis Maimonidis מורה נבוכים *Doctor perplexorum*, Autorem vocant Arabicum. *conf. & diss. M. Jac. Thomasis, de Nigello Wireckeri § 18.* ubi similis confusio exemplum potest offendi. Nonnulli, ut *Möllerus l. c. p. 11.* observat, *Eddam* (Librum Islandicum, Mythologiam Gentilium Borealium complexum, & à Snorrone Sturlesonio Islandiæ Nomophylace A. C. 1215, congestum, de quo pluribus agit *Möllerus in notis eruditissimis ad Th. Bartholini Librum de Scriptoribus Danicis p. 404. sqq.* Feminam, famam scriptis consecutam; aut conditorem Historiæ Danicæ fuisse putarunt. Et quemnam fugit fictus ille Autor & Scriptor *Articulus Alsmacaldus, de Potestate & Primatu Papa,* e Germanis Lutheranus, quem *Lud. Jac. a S. Carolo Carmelita Gallus,* & Regis sui Eleemofynarius, satis aliàs in Historiâ Literaria versatus Part. IIdâ Bibliothecæ Pontificiæ p. 455, 459. acceptis Articulis nostris Smalcaldicis, excogitavit? (de cujus erroribus etiam agit, in diss. quâdam de quibusdam ex Hist. Lit. defumtis c. III. p. 19. B. D. Joh. Gottlieb Möllerus) Idem denique ut alia hac vice taceam Theologo Pontificio Colonienſi, nominatim *Michaeli ab Isselt,* circa præsentem librum de quo scribere animus fert Alcoranum scilicet accidisse refert nostras *D. Dorscheus in Vindicijs ad Exodum P. II. diss. IX. p. 179.* Sic enim ille *Isselt in præf. ad Ludov. Granatensis duceem Peccatorum,* Coranum vocat Mahumetanorum insignem Legislatorem: *Coranus,* inquit, *ille insignis Mahumetanorum Legislator beatitudinem in cibo & potu & uxorum multitudine constare affirmat.* Haud inutile ergo fore judicabam, si de hoc Libro ejusque Historia Literaria, svasu Pl. Reverendi ac Excellentiss. Domini Præsidis, Præceptoris mei Venerandi, speciminis Academici & tentaminis loco, quædam, & quidem per modum Spicilegii, meditarer, ex monumentis quæ mihi hæc vice ad manus fuerunt. Sicubi lapsus fuero, ut enim in tenebris, sic quoque in proclivi petra, qualis Historia Literaria est, in mediâ luce lapsus non est inevitabilis condonabit B. L. DEUS vero T. O. M. ut meditatio hæcce succedat faxit *Feliciter.*



Cturus igitur nobis de Alcorano , ante omnia juxta receptam in Scholis methodum prius quædam de ipso hoc nomine prælibare incumbit, quam ad rem ipsam progressus instituatur. Uti autem aliàs in nomine declarando hæc tria observant Philosophi; (1.) Ejus Etymologiam, si- ve nomen deducunt ex origine. (2.) Homonymiam si- ve vocem distinguunt. (3.) Synonymiam, si- ve declarant ex aliis idem significantibus, ita & hoc loco, eadem breviter observanda esse ducimus. Quod igitur spectat *Etymologiam* & hic iterum tria sese offerunt; *Primo* nempe vo- cis hujus Origo, *deinde* ejus derivatio, *deniq;* derivationis hujus ratio. Cir- ca originem patet vocabulum *Alcorani*, in Oriente, matre lingvâ Arabicâ, natum esse, postmodum verò civitati donatum, & non solum Latinum sed & Germanicum factum, sic enim Germanorum *Alcoran* / observante Fabri- cîo (a) pure Arabica est. Nonnulli hanc vocabuli hujus recensent origi- nem ex Alcorano Surat. 96. ubi hæc habentur verba: *Lege in nomine Domi- ni tui, qui creavit hominem ex sanguine concreto : lege per Dominum tuum, qui docuit hominem quæ antea ignorabat.* Quæ verba uxori suæ Chadigæ proposuisse Muhammed perhibetur, tanquam à Gabriele Angelo proposita, eum ei primo loco revelationes suas aperuisset. Cum ergo in Arabico habetur *قرآن* *lege*, inde nomen Coranus factum creditur. Nisi potius Ori- go sit à Judæo, ut veteri *קרא* responderet. (b.) Derivatio hujus vocis, quæ est ex Arabico articulo *ال* & ex voce *قرآن* *Koranon* optime potest pe- ti ex *B. Pfeiffero* (c) cui vocabulum hocce *Koranon* denotat Lecturam, Le- gendum, vel collectionem; a radice *قرأ* *legere*, colligere. Alii vero teste Schindlero (d.) vocem deducunt a radice *קרא* (*quarar*) confessus est, ut *Alcoran* sit quæsi confessio. Aliis notante eodem Schindlero significat *Alcoran*, correctionem, ideo, quod Vetus & Novum Testamentum corrigere & tolerabilius reddere voluerit; quamvis prior derivatio sit adæqvata. Pro variâ itaque hujus vocis significatione & derivatione, varia etiam ejus deriva- tionis datur ratio: Collectio, Erpenio aliisque dicitur eò, quia capita ejus & Su- rata, antea disjectæ & disruptæ in unum quasi corpus sunt collectæ, & *Alcora- nus* idem sit ac collectanea divinarum præceptionum; (e.) correctio unde aliis dicatur ex Schindlero jam est adductum. Ad *Homonymiam* notandum est venire hoc nomine Muhamedanis, non saltem *Alcoranum*, sed etiam quam-

quamvis legem cœlitus datam; unde Moses alibi dicitur **U** accepisse. (f.) Hoc vero loco quando nobis cum Alcorano res est solùm intelligimus Volumen legis Muhammedicæ, cui & *Synonyma* quædam de neganda non sunt: Nam dicitur aliàs quoq; *Furcan* sive *Alporcan* vel quod idem *Alsurcan*, a discriminando, quod verum a falsò discriminet, aut infidelitatem a fide, (g.) vel ob discretam ut Nic. de Cusa (h.) vult, capitum separationem. Nominatur & *Almoshaph* i. e. liber sive Codex, ut sacra scriptura Græce **Βιβλίον**, De quibus, ut & de nomine Alcorani ipso ulterius conferatur Pfeifferus (i.) & Maracci. (k.)

- (a) In Specimine Arabico p. 97. (b) Vid. B. Dn. D. Hinckelmann præfat. Alcorano præmissa. (c) In Theol. Judaicâ p. 269, & in Crit. Sacrâ p. m. 412. 413. (d) In Lexico Pentagl. p. 1648. in voce **אִנְרָפ** (e) Pfeiffer. l. c. p. 264. Fabric. l. c. conf. & Jo. Forbesus a Corse in Instru. Hist. Theol. Lib. 4. cap. 3 n. 3 p. 176 sq. (f) Fabric. l. c. (g) Danhaverus Diss. de Ecclesia Muhamed. p. 56. & Pfeiffer. l. c. p. 268. (h) In Cribratione Alcorani Lib. I. c. 1. (i) Loc. cit. (k) In Prodro- mo refutat. Alcoranica P. I. c. III.

§. 2. Consideratò igitur breviter Alcorani nomine, de ipsius causis, paucis quoque dispiciendum erit. Primum vero inter eas locum *Efficiens* obtinet, quæ vulgò dividi consuevit in *Moventem* & *Agentem*. *Movens* iterum, quæ nobis hac vice idem est ac *Occasio* non malè in *Internam* & *Externam*. Illa omninò fuit ipsa Muhamedis malitia, quæ procul dubio à Diabolo fuit, malas suggerente de compilando hocce libro, introducendâque planè novâ religione, cogitationes. Hanc vero fuisse crassam Arabum Idololatriam, agrestemque Politiam; Judæorum dispersionem, contemptum & vires plane attritas; Christianorum autem tunc temporis, partim dissidiis intestinis distractionem, partim etiam in vitâ ipsâ, illorum quoque, qui innocentia facem aliis præferre debuissent, dissolutionem, optime nos edocet *Höttingerus* (l) dicens: *omnia modo recensita, astuto & versipelli Arabum impostori, Muhamedi, vulgatum illud Arabum: Acue ferrum dum calet; in memoriam vocasse.* Causam vero agentem sive Alcorani Auctorem quod attingit, & quidem principalem, illum Arabes fingunt ipsum DEUM, quando nempe omnibus persuadere volunt, Alcoranum esse *inreatum verbum DEI*, imo tam altas hæc ipsâ suâ persuasione in omnium animis egerunt radices, ut malint sæpe extrema quæque subire, quam de æternitate Alcorani, quam ipsi cum attributo **أُنْوِيَات** tribuunt, dubitare, licet assertum hoc, nonnulli eorum, imo ex ipsis Imperatoribus, refutent, credentes Alcoranum esse crea-

tum. Sic enim, ut unius modo exempli abs *Höttingero* (m) ex Patricide re-
 censiti mentionem injiciam, *Vathekus*, successor *Mammonis*, magno co-
 namine fidem de creato *Alcorano* propagavit: *Nam scripsit ad omnes Ægyptii*
provincias, ut cogerentur Muselmanni credere, Alcoranum esse creatum, atqz
hoc ipsum templis insculperetur. Quæ sententia valde displicuit Muselmannis,
eamqz vehementissime sunt detestati, illi vero, qui hoc modo, sententiam banc
insectantes se gesserunt, neqz eandem parato animo acceperunt, graves luerunt
pœnas, aliis flagellis cæsis, aliis vinctis, etiam occisis. Quæ Arabum sen-
tentia, procul dubio ipsi innitur Alcorano, in quo hinc inde inculcatur,
codicem hunc, non tantum innotuisse Patriarchis & Patribus V. T. sed
עֶסֶר דֹּנֵן quoque ac cælo demissum esse, nocte quadam cui nomen *קֶרֶן*
potentiæ impositum. At æque inepti sunt hæc traditione Arabes ac Judæi, qui,
*ut ex Chemitio refert *Bangius*, (n.) legem ante mundum conditam, ac lite-*
ris igneis nigris in dorso ignis candidi scriptam fuisse, duobusque annorum
millibus mundum præcessisse, nugantur. Quas vero nugas, meritò seponi-
mus, Verum & genuinum Autorem in scenam producere intendentes. Ille
*vero primus post Satanam *MUHAMMED* est, de quo in compendiò qua-*
dã lubet prænotare. Quemadmodum vero olim Athenienses sæpius refe-
*rente *Proclo*, in *Cbrestomathiâ suâ*, contraria plane rebus nomina indiderunt,*
Carcerem Palatium nominarunt, Vappam dulcedinem vocarunt, Furias
*Eumenidum titulo condecorarunt; vel, ut, notante Magnifico Dn. D. *Itti-**
go, Præceptore nostro Venerando (o.) Ægyptios etiam, eadem nominum
 perversione delectatos legimus, ubi inter *Ptolomæos* qui Parricida fuit, *Philo-*
pater, qui neminem unquam ullò affecit beneficio *Evergetus* dictus est; Ita
 idem plane & de *Muhammede* & de ejus nomine dicendum est: Illi qui nihil
 minus egit, quam ut *DEUM* verum, verè debitòque modo laudaret, celebra-
 ret, eiqz gratias persolveret; Illi qui nullà laude & celebratione dignus, &
 cujus desiderio nullus flagrat, nomen est *Muhammed*. Descendit enim no-
 men hocce a verbo Arabico *حَمِدَ* per *μεταίρεσιν* *ἁμῶ* laudavit, gratias
 egit; quod in conjugatione secundâ, significatione intenâ, valde celebrat
 significat: atqz ab hac conjugatione ejusque participio passivo emergit
ἁμῶ valde celebratur, quod nomen Arabicum vi etymi *Höttingero* (p.)
 idem est ac Hebraicum *חַמְדָּתָא* *Vir desideriorum.* (q.) Observamus au-
 tem hic simul, *Muhammedem* hunc non esse confundendum cum alio *Mu-*
hammadem Ben Jsaac Arabe qui scripsit de *Setâ Manicheorum*, cujus *MSCtum*
 possedit *Höttingerus*, quem & recenset *Konigius* (r.) Pessime etiam hic *Muham-*
med

med confunditur à glossâ marginali corporis Cónonici cum *Nicolao* hæresiar-
 châ primi seculi. Cum enim .c. *non omnes Episcopi*: 29. C. 2. Q. 7. hæc ver-
 ba ex Hieronymo allegantur: *Attendis Petrum sed & Judam considem, Ste-*
phanum suspicis sed Nicolaum respice; in extremo margine notatur, quod i-
 ste Nicolaus fuerit Mahometus, quem colunt Pagani, pro quâ sententiâ *Hugo*
 citatur. Cujus Glossæ etiam meminerunt *Dominicus & Carolus Macri* fratres.
 (s) Genealogiam nostri, quam sat amplam Arabes texunt, *Höttingerus* (t)
 proluxissimè recenset, Parentes ipsi fuere Abdalla & Emina, gentis & familiæ
 nobilitate clari quidem, Avus enim ejus *Abdamutalib* a *Schickardo in præfat.*
ad Tarich. inter Arabiæ Reges relatus legitur, sumtibus vero exhausti, vitam
 parcè & duriter agentes, quam & paupertatem in Prophetâ suò libenter Ara-
 bes concedunt. Locus, ubi lucem Muhamed adspexit, urbs Arabiæ Felicis
 (quod *Pfeiffero* (u) placet asserere præ disertâ) Mecia fuit, a Muhamedanis
 tam sancta æstimata, ut nullis nisi Muhamedanis eam videre liceat, quamque
 Scriptores Arabici, quotiescunq; mentionem ejus faciunt, votis prosequuntur,
 vel titulis honorariis condecorant, verbò, tanti faciunt, ut eam ingredi Chri-
 stiano capitale sit, cujus rei rationes *Höttingerus* (w.) iterum enarrat. De
 tempore nativitate ejus quando illud contigerit, quove anno inter Eruditos
 nondum convenit; *Pfeiffero* l. c. arridet juxta *Elmacinum*, cujus sententia &
 recentissima est, & Arabibus tutissima videtur, A. C. 571. *Erpenius* (x.) statuit
 580. *Job. Andrea* cognomine *Alfacvi* i. e. sacerdos Muhammedicus, sed
 ad fidem conversus, (y.) nativitate ejus refert ad annum 620. Varia alias
 circumferuntur miracula, quæ in ipsa nativitate, quam Rabbi quidam *Ismae-*
litarum nomine *Kabaleb* (z. longò antequam facta tempore prædixit, contige-
 runt, quorum inter & illud est, quod natus sit circumcisus, & ipse Lucifer ex
 ipsius nativitate dolorem hauserit acerbissimum (aa) Infantiam & juven-
 tem Muhamedis, quam maximam partem ut *Camelarius* peregit, annos viri-
 les, ubi permultas nuptiis sibi uxores adjunxit, abundè nobis *Pfeifferus* l. c. descri-
 bit. Quod Religionem verò ejus concernit, probat *Maraccius* (bb) Muhame-
 dem usquè ad XL. ætatis annum Idola cum cœteris Meccanis coluisse, quod &
 comprobat *Höttingerus* l. c. p. 227. illo verò vitæ anno Propheticas inspiratio-
 nes, & inde Schedas suas ut *Pfeifferus* loquitur jactari cœpit, spargens, se
 esse Prophetam à DEO Devt. XVIII. prædictum, mentiens, nomen suum
 extitisse in V. T. ut & in N. T., quod & post ipsum Turcarum & Persarum Do-
 ctiores, ipsius Asseclæ, mordicus defendunt. Quæ tamen omnia falsa, si-
 cut solidè & eruditè contra eos demonstrarunt *Danbawerum & Erischmuthus.*

(cc)

(cc) Præterea finxit & Ecclasin quandam divinam, & familiare cum Gabriele Archangelo colloquium, cum tantum Epilepsiâ laboraret, inter quam vero & Ecclasin maxima datur differentia. (dd) Miracula plurima ab Assiclis ejus ipsi assignantur, sed quo jure detegunt nobis *Hörringerus* (ee) & ex Maraccio Actorum Eruditorum collectores (ff) item *de Moni*, (qui est *Richardus Simonius*) (gg) Muhamedem nempe nullis miraculis fuisse clarum. Ridicula porro est illa sententia *Benvenuti Imolensis*, quam *Dominicus & Carolus Macri* Fratres in Hierolexico perstringunt, quando Muhamedem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuisse asserit. Cæterum quæ ulterius de Muhamede afferri possent, ut sunt de ejus fuga ob religionem, de bellis cum Heraclio gestis, (ubi & obiter observamus, Insignia Muhamedis, nempe Bombyx ad mori folium, cujus meminit incomparabilis ille *Andreas Möllerus*, *Greiffenbagius*,) (hh) de morte denique & de sepulchro ejus pendulövi magneticâ in Aerem attracto, (ii) vid. Pfeifferum & quos ipse citavit, quibus addatur *Historia Gothanæ Compendium*, (kk) cum aliis qui de Muhamede tractationem instituerunt. Hic igitur huc usque descriptus Muhamed Alcorani Parens, cui foetus ille, die Veneris, quam ideo Sabbati loco colunt (ll) ut tradunt, allatus, licet aliàs ipse Muhamed confiteatur, diversis temporibus imo particulatim se doctrinam suam accepisse; In compilando hocce libro & cudenda religione, nonnullos habuit Coadjutores, *Sergium* nempe monachum, quem aliàs præceptorem vocant Muhammedis, & vel Nestorianum, vel Jacobitam, vel Arianum dicunt; fuisse vero Nestorianum, nervosis ex Maraccio conceptis verbis Lipsienses (mm) comprobant, & Judæos quosdam, quorum nomina ex *le Moyne Plur. Rev. ac Excell. Dominus Præses meus* (nn) observat, quibus Pfeifferus (oo) addit ad huc alios duos Monachos *Nestorium* & *Addosum*, & judæum *Abdallam* filium *Selam*, simulque hæc, quæ de hisce coadjutoribus Muhamedis referuntur vera esse, contra eos, qui in dubium vocant, argumento potissimum ab ignorantia, quam aliàs Muhamed certissimè, si recensiti illi non tradidissent manus socias, prodidisset, desumptò, defendit. Atque sic a jam nominatis contenta Alcorani excogitata & variis in Schedulis conscripta & conjecta, imo palmarum foliis illita fuere. Ne vero post obitum Muhamedis, & somnia simul ejus evanescerent, *Abubeker* quidam, socer Muhammedis, ejusque in regno successor & primus Calipha, (h. e. Vicarius Muhamedis) cui & ob fidem suam, quam somniis illis Muhamedis adhibuit, cognomen *Veri* sive *Jufsi*, ceu præmium, ab Arabibus impositum est, Schedulas illas, una cum *Osmano*, diligentissimè conquisivit, & in unam quasi

quasi Systema, ea quæ in schedulis & tabulis dispersa erant, congestit, (qq) ita verò ut Grammaticæ potius elegantia, quam ordinis rerum & temporum, imò quam veritatis & certitudinis fuerit studiosus. Plura adhuc de Auctoribus Alcorani ejusque fati habet B. Dn. D. Hinckelmannus. (rr.)

- (l) *Hist. Or. Lib. 2. c. IV. p. 396. sqq.* & præter eum Dn. a Lent in *Schediamate Historico-Philol. de Judaor. Pseudo Messis. c. II. §. 8. p. 36.* (m) *Hist. Or. p. 417.* (n) in *Cælo Orientis* (quod nunc sub tit. Exercit. Philolog. Philos. extat) *Exercit. I. p. 3.* (o) in *Oratione Parentali, in Obitum B. Dn. D. Carpzovii*, Chrysolomi illius Lipsiensis habita. (p) *Hist. Orient. L. 1. c. 2. p. 13. sqq.* ubi & Synonyma quædam Muhamedis recensentur, Quæ tamen omnia prælantia nominis **محمد** cedunt, ideo, quia Muhamedani asserunt, hoc nomen, non tantum Adamo, Moysi, Christo, cæterisque Prophetis innotuisse, sed etiam ei cum DEO commune esse. (q) *Dan. c. X. v. 11.* (r) in *Bibliotheca Veteri & Novâ p. 588.* (s) in *Hieroglyphico p. 400.* conf. & *Magnif. Dn. D. Itigii Diss. de Hæresarch. p. 94.* (t) *l. c. pag. 17. -- 201.* (u) *Theol. Jud. p. 267.* (vv) *l. c. p. 216.* (x) *Orat. de Lingvâ Arab. II. p. 42.* (y) in *Confus. Sect. Muhammedica p. 32.* (z) vid. *Schweigger in der Türcken Alcoran, Religion, und Aberglauben. p. 3.* (aa) *Schweigger l. c. p. 18.* ubi ita: In dieser Stund (da nemlich Mahomet geboren) haben sich alle Engeln geniget/ und Lucifer ist von den Engeln in die Tiefe des Meers versencket worden/ von dannen ist er nach 40. Tagen mit harter Müß entlauffen/ und ist auf den Berg Cabes kommen/ alda er mit grausamer erschrecklicher Stimme/ seine Engel/ und die er sonst verführet/ zu sich geruffen/ die fragten ihn/ was doch die Ursache wäre/ daß er so entwichen sey? Denen erzählte er/ daß Mahomet geboren wäre/ welchen Gott herfürbracht/ und seinem Schwerdt solche Krafft gegeben/ daß es alles/ es sey so hart als es immer wolte durchschneide zu unsern Verderben/ und daß kein einiger Platz auff den Erdboden soll gefunden werden/ dahin nicht die Lehre von der Einigkeit Gottes kommen solte/ welcher alle Ding erschaffen/ und mich wegen dieses Propheten verdampt hat. Adde *Hoornbeeckium in summa Controv. Relig. p. 73* (bb) *Part. I. Prodromi Refut. Alcor. Cap. VIII.* quam recensent etiam *Celeberr. Act. Erud. collectores Anno 1692. cujus vid. p. 331.* (cc) *Ille in diss. cit. p. 9. sq.* Hic in *diss. pec. Fena 1685. habita: contra Turcarum Persarumque Doctores, qui Muhamedem veri nominis & a DEO promissum Prophetam fuisse probare satagunt.* conf. & *Act. Erud. l. c. p. 335.* (dd) ut ostendit *M. Panecius in diss. de Ecclâ Witteb. Anno 1695. habita: (cc) l. c. p. 473. -- 491.* (ff) *l. c. pagg. cit. & Anno 1698. p. 113. it. Pfeifferus l. c. p. 269.* (gg) in *Histoire Critique de la creance & des coutumes des Nations du Levant. Chapitre. 15. p. 167. sq.* (hh) in *Symbolis Syriacis p. 26.* ubi recenset sarraginem aliquam Insignium haud vulgo notorum. (ii) Quam tamen traditionem fabulam esse, demonstrat *D. Samuel Andrea in Diss. de Sepulchro Muhamedis. (kk) p. m. 442. sq. & Dnus a Lent l. c. Hoornbeck l. c. p. 71.* conf. etiam *Confut. Muhammed.* quam exhibet *Le Moynes in Var. Sacris p. 429. sqq. & Bartholom. Edessai Elench. & Confut. Hagareni*, itidem *à le Moynes exhib. l. c. p. 303. sqq.* Vitam quoque Muhammedis, ulterius, accuratissime descripsit

B

Greg.

Greg. Abulpharagus in *Hist. Dynastiæ*. per Pocockium edita, & ipse Pocockius eam consignavit in *Specim. Hist. Arabica*. Jung. *Prædeanx vom Leben Mahomets und dessen Alcoran.* (ll) Vid. *Georgewirz in de ritibus Turc.* c. I. Az. 72, p. 172. de Turcarum Sabbato alias etiam conferri meretur *D. Quenstedt in Diss. pec. de Sabbato in præfat.* (mm) l. c. nempe Anno 1692, p. 331. (nn) in prologo *Diss. de Chibbubr Hakkebber.* pro ultimo vero nomine *Audias* legit *D. Joh. Mich. Langius SS. Th. Prof. Altorf.* in *Diss. de Fabulis Mohhamadicis* p. 72. *Abdias ben Salon.* Ubi & p. 71. narratur ex *Hinckelmanno*, de duobus servis in officina fabri gladio-
rum Mecensis, qui ipsi Pentatevchum & Evangelia prælegerint, in cuius rei testi-
monium *Zamaſcharius* apud Maraccium adducitur. (oo) l. c. p. 273. *ſqq.* (pp) *Hotting. Hist. Or.* p. 472. (qq) unde *Pfeiffero* audit *Alcorani systematicè* & *for-
maliter considerati causa proxima.* *Elmacinus* in *Hist. Saracen. Lib. I. C. I.* p. 18.
de hac *Abubekri* prima Alcorani étabulis collectione ita fatur: *Cum enim Multi-
mi in Samana fortunam haberent adversam, metuit (Abubeker) ne Alcorani
quidquam periret, erat enim tantum in hominum memoriis & in Schedulis in-
zer tabulas, vocavitq. eum Musbasum. Scriba ejus fuerunt Osman fil. Affani
& Zeidus fil. Tjebiri: Judex Omar fil. Alchibabi, Finitor Sededus, Servus ejus:
Sigillum ejus erat Sigillum Prophetæ.* adde *Hotting.* in *Prompt.* p. 106, 107. ubi ob-
servat Arabes *Abubekrum* Collectorem Alcorani salutare. (rr) in *præfat. Alcora-
no præmiss. lit. b. 3. ſqq.* & ap. *Autorem confutat. Muhammed,* quam sistit *le
Moyme* in *Var. Sacr.* p. 449. *ſqq.* Jung. *Danh. sv. l. c.* p. 87. 88.

§. 3. Ad Objectum sive Materiam circa quam Systema hocce Alcorani jam collectum occupatur, quando pedem promovemus, admodum varia sese nobis offerunt. Et quidni esset, continet enim scriptum hoc certi quicquam nihil, constanti & uniformi methodò, sed est variegatus Cento *ἐπικατάρατ* & *κατάρματ*, ut illum ex *Hottingero* nominat *Præcell.* *Dnus M. Chr. Reinicius Præceptor meus dum Lipsiæ essem æstumatissimus,* (ss) & ut *Maraccius* loquitur (tt) vix dici potest, quid Alcoranus determinatè contineat; est enim Miscella & farrago innumerarum rerum. Ex mente vero *Muhammedis*, ut videtur, Objectum illud & Materia Alcorani, sacra esse debuit; quam & *B. Pfeifferus* (uu) optime dispescit in tres classes, & de singulis fusissime agit, quod etiam præstitit *B. Dn. D. Hinckelman:* (ww) Quare nos ne actum agamus, dispositionem tantum objecti hujus ex eo recensebimus, probationem vero dictorum, eorumque ulteriorem Illustrationem, quam semper ex Alcorano, cujus loca citantur additam, *B. L.* ex ipso *Pfeiffero* petere, si lubet, potest. Tractantur vero in Alcorano (I) *Historica*, eaque vel *Biblica* (xx) vel *non-Biblica* sive *Profana.* (yy) (II) *Didactica*; (zz) sistit enim Alcoranus Theologiæ Muhammedicæ fundamenta. (III) *Elen-
dica* (aaa) quando nim. carpit *Koreischitarum* partim *Idololatriam*, partim
eorum

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

eorum *ἄγγελολατρείαν*, angelos cum dicerent esse filias DEI, partim eorum falsam persuasionem non dati resurrectionem mortuorum, & iudicium post mortem. In Judæos etiam quodammodo invehit, varia ipsis exprobrans. (bbb) Hæcque hæctenus recensita, etsi ex parte bona sint & utilia, & apte hic quadret *πλοῦθὺν ἄληθην* illud: Eine blinde Taube findet auch zuweilen eine gute Erbsen; tamen præter pauca illa, plurima, se nobis hñstunt *Fabulosa* (ccc) *Absurda* (ddd) vel *Dogmatica* vel *Philosophica*, vel *Historica*; *Impia* (eee) *Frivola*. (fff) Quæcunqve omnia ita sunt comparata, ut ferme rarò caput aliquot invenias, in quo non plagia ex nonnullis etiam ipsorum Christianorum libris probis æque ac improbandis occurrant, quod exemplo libelli istius, *de Miraculis Christi Infantis*, qui vulgo sub titulo Evangelii a Petro conscripti eo tempore circumferebatur, ex quo passim, multa in Coranum præcipue C. III. sunt transcripta, prolixius probat *Dn. D. Hinckelmannus*. (ggg) Si igitur accuratori trutinâ hanc materiæ Alcorani dispositionem perpendimus, maximam inter Coranum & Judæorum Talmud reperimus convenientiam, (hhh) quare & *Doctissimus H. Mubius* (iii) Coranum cum Talmude confert, ostenditque commune utriusque nomen esse *Alfurcan*, communia somnia & figmenta in locis quam plurimis. De Salvatore nostro Jesu Christo ejusque Matre Maria bene quidem Alcoranum sentire probare annitur *R. Samuel Christianus*; (kkk) sed ex ipso Alcorano (lll) non augustè satis id fieri, facile patere existimo; quod peculiari libello *Warnerus* profecutus est. Confer & hic ut & de admiranda veritatis vi in Aulâ Turcicâ & peculiari inde natâ sectâ quæ *Schnubol Messibi* populus Messiæ audit ex *Paulo Riccaut* disserentem *Hinckelmannum* (mmm).

(ss) In Eruditâ sanè *Dissert. de Sex Mundi Millenariis ex Traditione Eliand.* Lipsia 1696. hab. in præfat. (tt) in *Prodrom. Refut. Alcorani* P. I. C. III. & in præfat. C. II. p. 219. *Tot jugibus contradictionum referuntur est Alcoranus, totq; tam portentosis mendaciis, & fabulosis incredibilibus, ut ne fingere quidem aliud monstruosius liceat, librò illo.* Conf. *Pfeiff. Crit. Sac.* p. m. 410. quibus addendus *Auctor Religionis Medici* qui est *Thom. Browne*, natione *Anglus*, professione *Medicus*, p. 191. edit. *Argent.* Judicium suum de Alcorano hisce aperiens: *Alcoranum Turcicum, indigestum quiddam est, & incompositum; erroribus impletis, & cum Philosophia pugnantibus, impossibilitatibus, figmentis & nugis plusquam ridiculis refertum, &c.* (uu) in *Theol. Jud.* p. 290-314. (vvvv) in præfat. *Alcor. Arab. præmissa lit. b. & c.* (xx) *Pfeiffer l. c. p. 290.* (yy) p. 291. sq. (zz) p. 294. sqq. (aaa) p. 296. sqq. (bbb) p. 298. (ccc) p. 300. sq. conf. & *Levinum Nicol. Moltkium. Equitem Megap.* qui nominatum antea Auctorem Religionis Medici notis illustravit eruditissimis *l. c. p. 144.* (ddd) p. 306. sqq. (eee) p. 309. sqq. (fff) p. 311. sq. & *Allatius in Apibus Urbani* p. 226. testatur, *Petrum*



à Valle, loca Alcorani textibus librorum scripturæ, qui etiam Turcis recipiuntur, contraria, item Anachronismos & similia studiose collegisse. (ggg) l. c. c. 1. sqq. (hhh) conf. Pfeiffer, *Theol. Jud.* p. 19. sqq. & *Plur. Rev. Dnus Praes in Spicil. Histor-Philol. de Talmude Babylonico* diff. priori §. 7. adde quos ibi citatos invenies. (iii) in *Apologia Talmudica*. Et Pfeifferus in *Prefatione Theol. Jud.* per tot. (kkk) in *parastasi veri Messia in Monum. Orthodoxorum scriptorum Lat. p. 1605. sqq.* (lll) *Surat. V. p. 92. edit. Gallica du Ryer* conf. Pfeiffer l. c. p. 311. In Catalogo Bibliothecæ Thuanae bis quidem memoratur *Alcorani* & *Evangelistarum Concordantia* Auctore *Postello*, quem tamen librum videre nondum mihi licuit. (mm) in *Pref. Alc. Arab. lit. f. 2. sq.*

§. 4. Forma Alcorani, vel interna est vel externa; *Interna* est ipse sensus, quem Arabes, Prophetæ sui ineptias in mysteria transformantes, sed falso, fingunt Θεοπνευστος, cum in Alcorano nihil sit, quod ultra Carnalis alicujus hominis ingenium assurgeret; exclusit enim Muhammed, ex suis dogmatibus, inquit celeberrimus *Langius*, (a) quicquid ratio sibi relicta capere non potest; ut potius sensus ejus maxime obscurus, impurus, insulsus, delirus, & confusus sit. Quæ omnia, si opus esset testimoniis plurimis comprobata reddere possem. Sufficit unicum hac vice adduxisse ex *Hieron. Savanarola* (b) qui rectissime non solum animadvertit, maxime insulse & confuse, conscriptum esse opus hocce, sed & a nemine ordinem ullum in eo notari posse confirmat, quod & indicium esse asserit præcipuum foecordiae & ignorantiae Muhamedis. Sensum vero huncce per se sat jam obscurum nonnullos Arabum sapissimè magis adhuc depravare, talem nimirum Muhammedi, affingentes sensum, de quo ipse nunquam cogitavit, *Abmed-Ben-Idris* exemplo nobis *Höttingerus* (c) demonstrat quam luculentissimè. Alii vero, inter quos & præcipuus est Dn. de *Moni*, (d) arbitrantur rudia atque infinita Alcorani figmenta, sensu parabolico aliquando intelligenda esse. *Externa*, Idioma est & stylus. Illud Arabicum est ipso Alcorano (e) fatente. Hunc vero Arabes magni semper fecerunt, adeo ut tantum ei adscribant, quantum judæi nitori & elegantiae styli scripturæ sacrae tribuunt, imo quantis phalereatis dictis ipse pseudo-propheta eundem extollat, videre est apud *Pfeifferum* (f). Negandum quidem non est, styli genus breve & concisum, phrasi non in elegans, sæpe figuratum, flosculis & sententiis subinde aperis, purum ac elegantissimum esse, si nempe Grammaticas regulas potius quam Rhetorices præcepta, quis æstimare velit. Et de quo recte judicat *D. Hinckelmann*: (g) quod Coranus totius lingvæ Arabicæ norma sit hodie, moxque laudat *Sam. Bochartum* in *Epistola ad Capellum filium*, ex vero scribentem: *Omnes in universon excel-*
lentiones

lenticiores Arabum libri, perpetuo ad Alcoranum alludunt, qui etiam stylo est tanto tersior, quanto in doctrina impurior ac absurdior. Alias verò contenti esse possumus, iudicio illo haud inconvenienti, quod de Stylo Alcorani fert Doctiss, *Maraccius* (h) quodque eo redit; Esse locutionem Alcorani, quoad realia scilicet, valde simili illi, quâ utuntur daemones in Energumenis, vel Arreptitiis, vel quando se ab hominibus audiri finunt; intermiscendo vera falsis, ludicra seriis, clara obscuris, & saepe per aenigmata & ambages loquendo. Præterea Stylus hicce quodammodo est rhythmicus, quia periodi ejus plerumque in rhythmos desinunt, non vero planè metricus, ut contra *Sca ligerum*, *Fabricius* (i) & *Pfeifferus* (k) observarunt; unde etiam est, quod Arabes qui vehementer delectantur rhythmico scribendi genere, eorumque plurimi Auctores & Doctores imitentur Alcoranum, & omnem operam in id sedulò collocant, ut genium ac indolem Styli illius rhythmi in Alcorano contenti expriment. Cujus rei illustre exemplum laudatus *Fabricius* (l) nobis reliquit.

- (a) *De Fabb. Mohammed.* p. 79. (b) *Lib. IV. de Veris. Fid.* c. 7. *Est enim, fatente quoque Maraccio in Prodr. Refut. Alc. in prefat. c. 2. p. 218. Alcoranus ita obscurus, concisus, perplexus, atque elumbatus, ut nisi Expositores suppetias ad eorum intelligentiam ferrent, Oedipo ipse frustra explicandus traderetur.* (c) *Hist. Orient* p. 127. (d) in *Hist. Crit. de Religione & ritibus populorum Orient. Cap. XV.* (e) *Surat. XLII. p. 370. edit. cit.* (f) *Theol. Jud.* p. 286. (g) *l. c. lit. g. v.* (h) notante *Pl. Rev. Dn. Præs. in Coroll. I. Diss. de Calumniâ Ono- & Chorolatris Judæis & Christianis olim adpersâ Lipsia habitâ.* (i) in *Spec. Arab.* p. 167. (k) *l. c. p. 288. sq.* (l) *l. c. p. 168. sqq.*

S. 5. De Fine quem Muhammed huic libro destinavit, ut nimirum esset norma & regula, ad quam dogmata fidei & religionis examinanda, vita benè morata instituenda, non est ut pluribus dicatur; quare statim *quid sit Alcoranus?* ex B. Pfeiffero (a) cujus descriptionem hac vice & huc transponimus, addemus. *Est vero liber Pseudo dogmaticus, ab impostore Muhammede, idiomate Arabico conscriptus, & Abubecro in ordine redactus, ut esset Muselmannis norma religionis & morum.*

- (a) *Theol. Jud.* p. 265. *Danbaverus* in *Diss. cit.* p. 57. ex *Hottingero*, hanc ex ipso Alcorano compositam exhibet: *Alcoranus est liber celestis, veritatis indubia, Angelis, Diabolis, Hominiibus intellectu difficilis, atque ad universalem omnium Gentium Apostolum Muhammedem missus, ut credentes illi serventur, increduli hic ferro & flammâ exstirpentur, & in altera vita supplicii æternis mactentur.* Simulque varias adjicit descriptiones alias e. g. *per Ignem fatuum. Lumen instabile, ineptum, fatuum. Purissimarum Paludum Accola, ludendis & in exitum præcedendis hominibus natum.*

§. 6. Licet vero ut §. 4. ex *Savanarola*, observavimus, ob confusam Alcorani conscriptionem, a nemine ordo ullus accuratus notari possit, nihilò minus tamen, varie à variis Liber hicce, cujus Oeconomiam aliquò modò, ubi de Objecto nobis sermo erat, dedimus, & pluribus adhuc ex Pfeiffero l. c. addisci potest distribui & in partes dividi consuevit. Communis illa est *Abubecri* divisio inordinata in CXIV. capita, (a) quæ Arabicè dicuntur *Suvaron* in sing. *Sumron* & cum Articulò *Affoumto*, unde apud Latinum interpretem factum est *Azoam*. Quæ vox quam diversis obnoxia sit explicationibus B. Pfeifferus nunquam satis laudandus (b) annotavit. Ab *Osman* vero genero Muhammedis, ut ex *P. Bellonio Hackspanius* (c) nobis reliquit digesta est Alcorani moles, quatuor in Libros, *Primi* libri capita sunt quinque. *Secundus* numerat duodecim. *Tertius* novem & decem, *Quartus* centum & sexaginta quinque. Alii teste *Philipp Gvadagnola* Suratam primam tantum præfationis loco venditantes, capita modo CXIII. numerant. Nonnulli septem ejus faciunt partes. Alii ut ipsi Muhamedani teste *Golio* (d) in LX. alii in XXX. diviserunt portiones. Quas vero generales partitiones libenter mittimus, & ad specialem ejus divisionem in Suratas nempe pedem promovemus. Sicuti enim Doctores judæos tractatus suos Dogmaticos sapissimè dispescuat in כוונות vias & incessus & in portas, nim. in שערות portam primam, mediam & postremam; ita & Alcoranus *Doctissimo Stephano le Moyne* (e) dividitur in شوارع i. e. in vias, plateas & ingressus, quia per illos Muselmanni, se incedere, pergere, & ad Paradisum tandem aliquando pervenire putant. De ipsis vero Suratis, earumque distinctionè minutissimâ in Versiculos, & quam difficile sit, numerum quendam certum hic statuere, plurimis pro more suò i. e. solide & eruditè jam egit *Pfeifferus* loco sapissimè citato. (f) Literas initiales, quæ Suratis quibusdam præmittuntur, recenset *Ludovicus Mamccius* (g) his verbis; *Sumt. II. v. 2. exorditur tribus characteribus solitariis np. A L M. qui nihil significant, & expositores ipsi sapientiores fatentur DEUM solum nosse sensum eorum. Neque solum huic Suræ; Sed aliis quoque nonnullis, vel hos vel alios characteres ignote significationis præfigit.* (sc. Muhammed) *Eas hic notabo, præmittit Sur. III. A. L. M. Sur. VII. A. L. M. S. Sur. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. A. L. R. Sur. XIX. K. H. I. A. S. Sur. XX. T. H. Sur. XXVI. T. S. M. Sur. XXVII. T. S. Sur. XXVIII. T. S. M. Sur. XXIX. -- XXXII. A. L. M. Sur. XXXVI. I. S. Sur. XXXVIII. S. Sur. XL. XLI, H. M. Sur. XLII. H. M. A. S. Q. Sur. XLIII. -- XLVI. H. M. Sur. L. Q. Sur. LXVIII. N. Non est dubium hujusmodi characteres superstitionem*



ac magiam denotare. Nullam certe habent utilitatem, prorsusque otiosi sunt cum nemo sit qui eos intelligat.

(a) Quorum ordinem & numerum habet *Postellus Lib. II. de Concord. Orbis p. 125.*

(b) *Th. Fud. p. 277.* (c) de *Fide & Legib. Mohham. p. 65.* ubi & illud adhuc observatur, eandem distinctionem legi in *Confusione Sectæ Muhammedana c. 2.* cuius Auctor est *Johannes Andreas Alfacqvus* i. e. Sacerdos Mohammedicus, sed ad fidem conversus, conf. adhuc notas *Widmanstadii ad Theologam Muhamedis atque Orationes 4.* quæ Alcorani exhibent Epitomen, & *Nicol. de Cuse qui Lib. I. c. I. cribrationis Alcorani* scribit: *dicunt quidam observatores Libri illum aliter in Oriente & aliter in Hesperis partibus distingvi.* (d) *Ad Gramm. Erpen. p. 178. & Danhaw. l. c. p. 57.* (e) in *notis ad varia sacra p. 926. sqq.* (f) cui merito jungendus *Höttingerus in Prompt. p. 108. sqq.* (g) in *Prodrom. P. IV. p. 609 sqq. add. Pfeiff. l. c. p. 282.*

§. 7. Est tamen, de quâ re jam dicendum, apud Muhamedanos Alcoranus, magna in *Autoritate, Veneratione, & Æstimatione* positus; adeò, ut in Controversiis fidei suæ ne latum quidem ungvem ab ipso recedant. Unde & nominibus valde honorariis e. g. Libri DEI, Verbi DEI eum condecorant, & religio ipsis est Alcorani textum quocunqve modo vel prætextu in dubium vocare. Æstimationem duobus hisce conclusionibus includere solent (I.) *Nibil simile Alcorano scribi posse*; quod quia in ipso Alcorano tanquam maximo Muhamedis miraculo (a) extat, necesse est ab ipsis, sanctè & indubitato credi. (II.) *Alcoranum esse æternum & increatum.* Quamquam vero inter ipsos huic propositioni contra dixerint multi, etiam Caliphæ & Superiores quidam, ut exemplo quodam etiam nos sup. §. 2. comprobatum dedimus, priorem tamen à nemine putant nisi hæretico, negari posse, qualis *Mardarmomus* Saracenus fuit, unde *Mardariensium* apud illos Secta nomen sibi contraxit. De honore & reverentia qua Alcoranum prosequuntur ita *Job. Leusdenius* (b) *fatur: Muhammedani non audent Christianis aut Gentilibus Alcoranum, vel ejus tantum particulam vendere, ex metu ne immundis manibus ab illis, utpote profanis hominibus, tractaretur; imo difficulter permittunt Christianis, judæis aliisque ut eundem attingant. Quæ modo dicta adhuc magis, si addatur exemplum, tam F. Bartoni, maximo, Alcoranum accipiendi, cum in Oriente esset, desiderio flagrantis, & tamen vix ac ne vix quidem ob iniquissimum pretium, dum 140. thaleris, venalis Alcorani liber prostaret, nisi cum periculo vitæ accipientis, quàm etiam ipsius Höttingeri hæc enarrantis, (c.) illustrari possunt. Præterea si Alcorano aliquis ex improvviso infideat, grande putant esse nefas; imo Christianis & Judæis aliquando capitale. Attingere etiam ipsi Muhammedani Alcoranum,*
vel

vel extremis digitis non audent, nisi bene lotis, & ab omnibus sordibus repurgatis: cum verò hoc in casu, peccatum committere admodum facilè, ideo ne ad excusandum ne, quidem improvidentia ipsis suppetias ferre posset, semper formula hæcce *ωεφουλακπη*, quæ desumpta ex Surata LVI. *Ne tangat eum nisi mundus*, tegmini vel corio Alcorani, quod vocant *Lingvam Libri*, inscribi consuevit. Non solum autem Systemati Alcorani in genere, tanti honoris & Venerationis a Muhamedanis defertur, sed & in specie, nonnullis Suratis singularem impertiunt honorem, exempli loco præ cæteris nobis erit Surat. I. & CXIII. *Illam*, ut ex *Albasan*, *Maraccius*, & ex eo quoque *Celeb. Actorum Erud. Lips. Collectores* (d) annotaverint maxima habent in veneratione. Nugantur enim DEum primùm centum & quatuor libros è cælo demisisse; horumque scientiam in quatuor ex illis, Pentatevcho nempe, Evangelio, Psalterio & Alcorano posuisse; denique totam Alcorani scientiam, in primæ ejus Surata conclusisse. *Hanc* quam nuncupant *Surato-Lachlassi* quod vulgo vertitur *Surata Salutis*, *Hinckelmannus* vero interpretatur *Caput Sinceri cultus DEI*, tanti æstimant, ut non solum illud caput, etsi per breve, tertiæ tamen Alcorani parti æquandum censeant, sed quoque non dubitent lectoribus ejus indefessis, indubie polliceri Paradisum. Cæterum de omnibus hisce, *Höttingerus* (e) *Pfeifferus* (f) *Koriholtus* (g) ulterius nos informare possunt.

(a) Juxta *Bartholomæum Dherbelot in Bibliothecâ Orientali* vid. *Act. Erud. Anni 1698. p. 113.* (b) in *Philologo Hebræo* p. 3. (c) *Hist. Orient. p. 505. sq.* (d) *Anno 1699. p. 232.* jung. *Höttingeri Promptuarium* quod edocebit p. 108. sq. quantum ejus recitationi, superfluito Muhamedana tribuat vim ac efficaciam. (e) in *H. O. l. c. in primitiis Heidelberg. p. 2.* in *Prompt. l. c.* (f) *Th. Jud. p. 314. sqq.* (g) in *diss. pec. de Religione Muhamedanâ, habita p. 40. sqq.*

§. 8. At, cum Orientales, ob defectum Typographorum, quos observante *Fabricio* (a) ideò non admittunt, quod existimant eos perniciosos Republicæ & fidei esse, tantum Alcoranum suum, literis conscriptum possideant, oleum & operam nos perdere non opinor, si expendamus huncce scribendi modum, qui plane nitidissimus, splendidissimus, imo secundum quosdam curatissimus est, quia tradunt tam accurate Turcas Alcoranum describere, ut nulla occurrat varia lectio: cujus vero contrarium, argumento, a notis in Alcoranum Masorethicis, de quibus varia satis curiosa habet *Höttingerus* (b) desumpto, asserimus. Addita enim est, etiam accuratissimis exemplaribus tabula Masorethica, ut constet quorum Authorum sint variæ lectiones; qualem & adjectam habet codex Basiliensis, qui inde a tempore Basiliensis Concilii, ut

Höttin.

Höttingerus hariolatur, in Bibliothecam sub nomine Armenici Alcorani depositus est, exactissimam, quam & universam, citatus auctor in *Promptuario* p. 152. inserit. Ulterius quoque nostram probatum damus sententiam, ex eò quia Muhamedani non adeo religiosi, & circumspectæ diligentiae sint, ac Judæi in exaranda sua קוראן seu lege, cum in scribendis nominibus divinis magna sollicitudine caveant, ne nomen DEI deleatur, aut polluatur; sed plerumque in Alcoranò scriptò aliquid addunt, emaculant, corrigunt. Inscripta vero sunt Alcorani exemplaria Vetustissima Pergamenò, Characterè Kufico, quæ proxime quoad splendorem sequuntur, exemplaria distinctis Tomis majusculis literis, auro hinc inde & colorum varietate intertextis, adornata, qualem Tomium, quem Anno Christi 1535. cum Carolus V. expugnaret Tuncetum, *Baro von Königseck* tanquam spoliolum in Europam deportavit, etiam *Höttingerus* ut ipse fatetur l. c. pag. 105. inter suos libros numeravit. Magis de nitore hoc scribendi nos instruit *Matthias Frider. Beckius* (c) quando tres illos codices quibus ipse usus describit; ante omnia de uno eorum hæc offendimus verba: *Est codex nitidissimus & politissimus: Ornamenta primi & secundi capituli aurea sunt, Rubricæ & Partitiones marginales miniatæ, commatæ denique crocæ; extrinsecæ involucri pars rubicunda; intrinsecæ vero viridæ est, qui color Muhamedanis est præstantissimus, & non nisi iis, qui Originem a Mabummede ducunt concessus.* Præterea & de nitore, quo Arabes libros suos exarant, & de terse nonnullis Alcorani scriptis exemplaribus *Höttingerus* (d) est adeundus.

(a) In *Spec Arabico*. p. 44. & *Hornbeck in Summa Controv. Relig.* p. 188. (b) In *Promptuario* p. 154. (c) In *Spec. Arab. in Præfat.* (d) In *Bibliothecario quadrupartito*. pag. 31. 32.

§. 9. Ad Editiones Alcorani, cum jam animus sit progressus facere in antecessum duæ quæstiones nobis erunt considerandæ, quarum prima: *Num Luci publicæ inter Christianos exponi sine periculo possit?* Altera: *An DEUS permittere nolet, ut ederetur Alcoranus Arabicâ Lingvâ?* Quoad primam quæstionem si Pontificios consulamus plerosque, sine ulla morâ & confestim negando illam decident, quodque satis patescit, vel quando in omnibus suis indicibus prohibitoriis & expurgatoriis ferme omnes Alcorani editiones condemnant, & ex omnium manibus extrudere nituntur (a) vel cum *Cardinale Franc. Ximeno* (b) qui ingentem multitudinem Arabicorum librorum & Alcoranorum, quinque millia nempe voluminum, quæ variis umbilicis, punica arte & opere distincta, auro etiam & argento exornata, non oculos modo sed animos quoque spectantium rapiabant, vulcano

C

Anno

Anno C. 1500. tradidit; ejus cremationem & per ignem extinctionem suadebunt. Nos verò omninò affirmandam esse hancce quæstionem, suffragante *P. Maraccio*, ipsorum Pontificiorum, alias fidelissimo fidei socio, dicimus. Est enim, enarrantibus *Eruditorum Aëtii* (c) modo dictus *Maraccius* totus in eo occupatus, ut neget aliquod incommodum Ecclesiæ Christianæ ex hocce libro afferri posse, & è contrario potius Dæmonis astu factum fuisse existimet, quod Ecclesiæ Christi tanto tempore incognitæ manserint hostium suorum machinæ & arma, quo minus adversus ea sese præmunire potuisset. Præterea asserit, neque impetus Muhamedanorum refellere, neque astus eludere nos unquam posse, nisi ex armamentario eorum tela sumamus, & eorum technas ab ipsis adhibitas adducamus, quod sine Alcorani subsidio nunquam assequemur. Et si forte, aliquod in Ecclesiam damnatum ex editione Alcorani redundaret, id non absolute, sed tunc demum accidere posse, firmiter cum Maraccio nobis persuasum habemus, si talismodi liber absq; ullis congruis Confutationibus & Apologiis publicaretur; quamquam non desint quoque Maraccio testimonia quædam Virorum inter ipsos Catholicos Sapientum ac proborum, ratum habentium, posse etiam sine refutationibus Alcoranum tutò & utiliter, omnium manibus oculisque permitticum a nullo melius, quam a se ipso refutetur. Remotis igitur iis, quæ Editioni Alcorani inter Christianos videbantur obstare, succedit jam alterum Problema, *An nimirum DEUS nolit permittere vulgari Alcoranum Linguam Arabicam?* Sic volunt nonnulli Primarium autem hujus persuasionis argumentum suppeditat ejusdem Favoribus, obitus Clarissimorum quorundam Virorum, præmaturus, quando de edendo ejusmodi Alcorano cogitationes conceperunt, ut sunt: *Erpenius, de Dieu, Golius, Zebendorsius, Ravius*. Sed & hic nobis non desunt rationes, quibus & hanc persuasionem & ejus fulcimenta subvertere possimus. Si enim (I.) DEUS permisit Alcoranum edi Lingva Latinâ, Germanicâ, Italicâ aliisque, ut ab unoquoque homine plebejo etiam in Vernacula sibi lingvâ legi posset, cur non faciet potestatem edendi lingvâ Arabicâ? permisisse vero DEUM & prius, imo & posterius, ex mox asserendis, clarebit. Et, si (II.) verum est, DEI permisso jam superiore seculo Arabicam extitisse Alcorani editionem, non video, cur hodie impediendi causam haberet. Verum autem esse præmissum, ostendit nobis, & simul contra secus sentientium rationes, quibus adniti intendunt impressum nunquam esse, ante Hinckelmannianam editionem, Alcoranum, allatis quatuor longe Eruditissimorum Virorum, *Hæneri, Bosii, Erpenii & Sauberti* testimoniis

nus solidissimè confirmat celeberrimus *Tentzelius*. Adde (III.) si DEUS permittit extare exemplaria MSta cur non etiam typis excusa? (d) Et nulla denique sano iudicio superesse potest dubitandi ratio, quin illam, editiones Alcorani jam extantes Arabicas, & de quibus nunc agendum, plane subvertant. Tractationi vero ipsi de Editionibus Alcorani impressis, pauca quædam placuit præmittere de Codicibus ejus MSSis extantioribus, & præ aliis abs eruditis memoratis; Inter hos verò primum merito occupat locum Alcoranus ille Arabicus quo *Solimannus Turcarum Imperator* usus est, qui Romæ in Museo Kircheriano (e) asservatur, quæ etiam exemplar, quod Imperator quidam Turcicus usui suo olim accommodavit, in Bibliotheca Reginae Sveciæ jamjam dissipata, teste *Höttingero* (f) asservatum fuit. His succedunt nitidissimi illi in Chartâ expolitâ & levigatâ, cujus levigandi rationem docet *Bellonius*, (g) exarati codices MSSi quorum mentionem *Beckius l. c.* injicit. *Bochartus* (h) non solum optat Alcoranum linguâ Arabicâ lucem adspicere, sed & tredecim ejus MSSos codices in memoratâ Christianæ R. S. Bibliothecâ, extare indicat, quem vero numerum *B. Hinckelmannus* in eo superavit, dum inter reliquos Corani Codices unum possederit Masorethicus instructum notis, quem *Muphti* cujusdam fuisse dicit, eumque codicem principem se vocare solere asserit. (i) Fuerunt autem istiusmodi codices MSSi in prioribus seculis admodum rarioribus; in unica verò illa clade Turcica prope Viennam Anno 1683. d. 2. Sept. multa exemplaria nobis Christianis Turcæ reliquerunt. Quo factum ut post illa tempora non tam rara amplius fuerint. (k) Inter editiones typis expressas, eminet ea, seculo decimo sexto anno 1530. Venetiis adornata, cujus autem exemplaria a Pontifice Romano ad unum omnia suppressa & combusta sunt. Alterum sine dubio hic sibi vendicasset locum, ea, quam *B. Pfeifferus* meditatus est, & promisit, (l) nisi graviora negotia id impederint, & quod Ecclesia Christiana adhuc dolet, e vitâ præmature discessisset. *B. Hinckelmanni* editio prodiit anno 1694. hoc titulo: *Alcoranus, s. lex Islamitica Muhammedis Filii Abdalle Pseudo Prophetæ ad optimorum Codicum fidem edita ex museo Abrahami Hinckelmanni D. Hamburgi ex officina Schultzeo-Schilleriana Anno 1694.* Quæ editio ex emendatissimis exemplaribus & præcipue ad fidem codicis cujusdam præstantissimi ac Masorethicus Arabum observationibus instructi, collato simul *Gjelalo-ddini* commentario nervoso, accurato studio curata fuit. Meminit quoque *Tentzelius* (m) *M. Acoluthi* & Celeberrimi Jenensium Philologi *Job. Andr. Danzii* quorum hic edere molitus est Alcoranum cum Latina interlineari versione, & notis *Jobi Ludolfi* & *Andreae Mulleri*

instructum, lucem autem an hæc editio jam adspexerit nos latet. Novissimè vero ante triennium nempe Patavii in fol. evolavit *Ludov. Maraccii* quadraginta annorum opus, quod recensent Lipsienses in Actis (n) cujusque titulum infra B. L. inveniet.

- (a) Ita enim in *indice Hispan. Madris. anno 1667. edit. p. 765 lit. M. class. 1. In indice Innocentii XI. p. 5. § p. 179* & in *indice Romano eodem anno edito p. 2. it. p. 84.* ut & in aliis ejusmodi indicibus habetur: *Alcoranus Muhamedus Basilea impressus, fo. ex quacunque alia editione, lingua & versione, cum prefatione Lutheri aut cum aliis impiis prefationibus, aut sine illis interdicatur, ita ut a nemine haberi possit.* Et sub *Alexandro VII. decretum à S. Rom. Censuræ congregatione latum fuit, quo Alcoranus cujusunque impressionis & idiomatis proscriptus erat.* (b) Vid. de hoc *Ximemii* circalibros Arabum, statuto *Illustr. Acad. Alorfina decus Dn. I. C. Wagenheil.* (in quem admodum injuriose crenam exercuit *Larroquanus Adversariorum Sacrorum Libro 1. p. m. 114.*) in *prefat. ad Tela ignea Sat. p. 13. § 49.* (c) Anno 1699. p. 244. (d) *In den Monatlische Unterredungen! Anno 1692. p. 918. sqq.* (e) Uti refert *Auctor Collegii Rom. § Musat p. 10.* (f) In *prompt. p. 105. sqq.* & in *Bibliothec. quadrup. p. 31. 32.* ubi meminit cujusdam Alcorani ante 500. minimum annos scripti. (g) *Libr. 1. Observat. cap. 76.* (h) in *Operibus suis studio Joh. Leusdenii & Pet. de Villemandy Lugd. Batav. 1692. editis, quæ & recensentur in Actis Erudit. Anno 1693. mense Martio p. 855.* (i) in *prefat. Alcor. promiss. lit. n. 1.* (k) *conf. Pfessferum in Panfophia Mosaica cap. VII. §. 1.* (l) in sæp. a nobis citatæ *Theol. Jud. & Mohham. prefatione.* (m) *l. c. p. 917. § 922.* (n) anno 1699. p. 247. sqq.

§. 10. Requirit jamjam tractandi methodus, ut ad *Versiones* Alcorani, huc usque varias in lingvas confectas, meditatio nostra dirigatur. Quia verò ut ex supra positis constat, magna inter Talmudem & Alcoranum offenditur convenientia, sic & non incongrue, uti de illius, ita de hujus *Versione* quæritur: *An urgenda sit & suscipienda?* Turcæ, apud quos, ut in *Hoëlli* epistolis Anglicè editis legitur, severissimè prohibitum, ne Coranus in alias lingvas vertatur, (a) nec in suam facile convertunt linguam, sed ad ejus intelligentiam, Linguam Arabicam sibi perquam familiarem reddunt, quid responsi sint laturi in propatulo est. Et *B. D. Hinckelmannus* quid de *Versione* Corani erudite monuit, ex eo observavit *Plur. Rev. Dominus Præses*; (b) nempe totius Arabicæ *Literaturæ* fraudi & damno potius, quam usui fore credidit, exemplisque comprobavit. Ast licet negandum non sit, studium *Lingvæ Arabicæ*, *Versione* Alcorani, ut judicat *Bibliander* in *Apologia* pro *editione* Alcorani, qui maximam alias in addiscenda illa lingua subsidium præstare potest, cum nullus liber commodior sit rudibus tyronibus, quam *Alcoranus*, propter lectionem, cum vocales aliosque apices literis apposi-

tos habeat, quibus alii Libri destituuntur, & propter observationem Gram-
 matices imminui, tamen solam hanc ob causam, versionem Alcorani
 omnem, non intermittendam esse, Eruditorum plurimi imò ipse *B. Hin-
 ckelmannus*, ut ex dicendis patebit, ipso facto demonstrarunt. Trans-
 latum itaque est Alcorani systema Arabicum, primò in Lingvam Persi-
 cam, sed multa ut *Maraccius* fatur cum variatione, ita ut ab Arabico nota-
 biliter dissidere dicatur; quorsum referendum est, Exemplar illud Alcorani
 Arabicum, cum versione interlineari Persica (v. Turcica, quod inter MSSa
 Bibliothecæ Vindobonensis a *Lambecio* (c) recensetur, & prædicatur ut co-
 dex rarus, & in ipso Oriente inventu difficillimus, quale exemplar ubi Textu
 Arabico, Versio interlinearis Persica subiecta fuit etiam se vidisse *Pfeifferus* (d)
 testatur. Deinde Alcoranus varias in lingvas est translatus: *Latine* versiones
 a *Pfeiffero* duæ tantum memorantur, una quæ *antiqua*, altera quæ *recentior*
 audit, quibus vero jam addere possumus *recentissimas*. Antiqua Latina illa
 est, quæ seculo XII., vel ut *Gebb. Theod. Meierus Theol. Helmsted.* (e) con-
 tendit Sec. XIII. iussu *Petri Abbatis Cluniacensis* a *Petrò* quòdam *Magistrò*
Toletanò facta est. *Petrum* vero hunc *Toletanum*, cuius & *Jos. Scaliger* in-
 ter Alcorani interpretes mentionem alicubi facit, licet omnes alii, Alcorani
 versiones recensentes eum prætermiserint, hanc versionem adornasse, quæ
 alias & *Henrico Dalmate*, & *Roberto Ketinensi* (vel ut minus accuratè alii le-
 gunt *Retinensi*) adscribitur, constare ait *D. Nicolaus Antonius Hispalensis* (f)
 ex codice quodam MSSo qui apud *Marsilium Ficinum* fuit. Vidisse vero co-
 dicem illum asserit *Martinum Sirvelam* versionem Alcorani exhibentem, cui
 subnexa hæc verba: *Illustri viro Petro Cluniacensi Abbate præcipiente, suis*
Angligena Robertus Ketinensis Librum istum transtulit A. C. 1143. &c. quæ sta-
 tim exceperint ista: *Hunc librum fecit Dominus Petrus Cluniacensis Abbas*
transferri, de Arabico in Latinum, a Petrò Magistrò Toletanò, cum esset ipse
Abbas in Hispaniis constitutus, cum glorioso Adephonso, eo anno quo gloriosus
Imperator Coriam civitatem fecit. Quæ vero ultima verba, etsi suspicionem
 fecerint *Sirvelæ*, fuisse olim, cum versione *Roberti Ketinensis*, compactum
 in eodem codice aliud quoddam opus, quod ex Arabico in Latinam lingvam
 conversum fuerit a *Pet. Toletano* ejusdem Cluniacensis iussu, tamen *Antonius*
 optime hæcce conciliat, sentiens duos forsan interpretes Cluniacensem Ab-
 batem operi admovisse, quod quam fieri poterat accuratissime translatum
 cupiebat. Recusa versio hæcce est operà *Theod. Bibliandri* anno sup. Seculi 50.
 Quo calculo vero abs Eruditis notatur, *Erpenius* apud *Pfeifferum* (g) & *Illu-*

stris Jos. Scaliger, ejus judicium (h) hoc est: *DEum immortalem*, quam inepta est *Vulgaris illa quam habemus interpretatio? Nemo ex illa translatione speret se Alcoranum intelligere*, nos edocent. De recentiori vero *Latina*, quæ ex *Gallica Ryeri* composita, nihil præter solam memorationem invenire licuit. Inter recentissimas autem *Latinas Versiones*, primas ratione ordinis tenet *Zechendorffii Scholæ Cygneæ olim Rectoris*, qui integrum *Coranum Latine* vertit, cujus *MSSum Zwickaviæ* habetur, quod *Hottingerus* quondam & vidit, & laudavit. Succedit opus illud *Maraccii* supra memoratum in quo *Alcorani* textus universus, ex correctioribus *Arabum* exemplaribus descriptus, ac ex *Arabico Idiomate* in *Latinum* est transpositus. De *Versionibus Latinis Profess. Danzi & M. Acolutbi* ea quæ s. præc. prolata, sunt repetenda. Consideranda tunc venit *Gallica Alcorani versio*, quam adornavit *Nobiliss. Dom. Andreas Ryer Toparcha in Malezair* qui claruit Anno 1634. & scripsit juxta *Colomesium* (i) præter hanc versionem, *Grammaticam Turcicam* Anno 1630. & 1633. in 4to. Confecta est hæc versio ut *Meierus* notat (k) Anno 1649. cum tamen *Colomesius* l. c. jam meminere editionis cujusdam in 4to *Paris. 1647.* Novissima hujus versionis ea est editio, quo prodiit à *La Haye* Anno 1685. in duodec. Variis & hæc versio, quæ tamen accuratorem hodiè non habemus, quam & elegantem scitamque appellat *Illustris. Wagenseilius* (l) & *Meierus* l. c. præ omnibus aliis pro fideli habet, *Eruditorum* judiciis est exposita: *D. Dan. Henrici Lipsiensis quondam Theologus* (m) ita de ea loquitur: *Plus suæ nonnunquam indulget linguæ elegantia, quam ipsius Textus curat genuinam versionem.* Et *D. Jac. Windet*: (n) solet nim. licenter intervertere, addere, demere. *Italica* etiam, operâ *Arrivabene* extat versio, de qua vero idem judicium, quod de *Latinâ antiquâ*, quippe ex illa facta, passim tamen castrata, est ferendum, quod & fecit *Seldenus*. (o) *Arragonicam* s. *Hispanicam* cum *Glossis Andreae Mauri* ad fidem *Christi* conversi *Wagenseil. l. c.* memorat. Superest *Germanica Versio*, quam ut apparet, ex *Italicâ antiquâ* vel *Latinâ* in publicum emisit *Salomon Schweigger* / *Ecclesiastes Neribergensis*, tribus constantem libris, quid vero de hacce tanquam leviculo modo *Alcorani* compendio, judicandum sit *Hackspanius* (p) ostendit. Aliam *Germanicam* ex *Gallica* istâ *Ryeri* confecit eamque *Thesauri Exoticorum* subjecit *Dominus Happeilius*. Hanc denique *Belgica*, *Alcorani versio* ex ipsâ *Schweigeriana* composita, est infecuta. Præter has memoratas versiones jam adducendæ brevissime erunt *Versiones particulares*, sive quarundam specialium *Alcorani particularum*, Aliquot *Alcorani Suratas* *Versione Persica*

sica interlineari illustratas se vidisse in MSto quodam Miscellaneo à D. Job. von Dalen sibi oblato, Höttingerus (q) confitetur. Surar. II. translatam evulgavit Ravius (r) Surar. Solis Arabicè & Latine edidit Maraccius. (s) Surar. XII. & LXIV. Erpenius. Sur. XIV. & XV. Job. Nisselius. Sur. XIX. Mariæ, non ita pridem edidit cum versione nempe & notis M. Seb. Gottfr. Starckius Potentiss. Borussia Regis Bibliothecarius ni fallor Berolinensis. Sur. XXXI. & LXI. Golius. LXXVIII. CI. CIII. Zeebendorfsius Sur. XCVII. Fabricius. Sur. XXX. de imperio Romano & XLVIII. de Victoria Beckius. Sur. CXII. Höttingerus; quarum plurimas Pfeifferus Theologiæ suæ judicæ & Mohammæd. appendicis loco subjecit.

(a) Quæ etiam Simonius confirmare videtur in *responsione ad judicium Theologorum Bataavorum a Clerico editum* p. 81. vid. etiam *Usserium* p. 261. *de scriptis Vernaculis*, (b) in *citati Spicileg. de Talm. Babil. diss. priori* §. 26. (c) *Lib. I* p. 168. (d) *Theol. jud.* p. 318. (e) in *Hist. Religg.* p. 196. (f) in *Bibliotheca Hispania Veteris Tom. II.* p. 16. quem Tomum recentent *Collect. Act. Erud. Ao. 1697. mensis juliô.* (g) *l. c.* p. 317. (h) in *Epist.* 362. jung. *Seldenus de Synedrîis* p. 843. & *Hornbeck* in *Summâ controuv. Religg.* p. 79. dicens: concinnatam esse hanc versionem, non ex Alcorano, sed ex ejus paraphrasibus, in cujus rei testimonium adducit nostrum *D. Chytraum*. Præterea observat *Nic. Clenardum* transferendi quoque Alcoranum in Latinum animum habuisse, de quo & consulendus *Wagenseil* in *prefat. ad Tela Ign* p. 47. (i) in *Gallia Orientali* p. 162. (k) *l. c.* p. 334. (l) in *prefat. modo citata* p. 47. (m) in *diss. de judicîis Hebraeorum*. p. 16. (n) in *Lib. de statu Virâ sanctorum Cl. & Hötting* in *Grammat. Chald.* p. 191. & de Auctore vide judicium in *Menagianis* p. 366. (o) de *Successionibus Lib. I. c. l.* (p) de *fide & Legib. Mohham.* p. 62. (q) in *Hist. Or.* p. 387. (r) vid. *Catalogus Biblioth. Hinckelm.* p. 83. in *den Ungebundenen* in *quart. num.* 140. (s) vid. *Acta Erud. Ao. 1692.* p. 375.

§. II. Ad Historiam Literariam Alcorani, omninò & referendi sunt, *Commentatores, Interpretes & Observatores* ejusdem. Cum tamen maximus eorum in Explicatione sit dissensus, Supremus apud Orientales Alcorani Interpres *Muphi*, aut Turcarum ut aliàs appellatur *Papa* est, quem sequuntur *Cadilescheri* Muhamedanæ superstitionis Doctores, & summi judices rerum forensium; hos alii excipiunt quos ordine *Danbawerus* (a) enumerat. Qvales illi sint Alcorani interpretes, quos *Oleario* teste Muhamedani non humanis tantum, sed & divinis onerant honoribus videre est apud *Langium*. (b) Inter commentaria vero scripta primo loco merito ponendus est Liber *Suna* seu Traditiones Mohammædicæ, quas ceu legem Turcæ exosculantur & *Meiero* (c) expresse Commentarius audit in Alcoranum. Cujus pretiosum aliquod exemplar, ex pugna illa de Anno 1683. acceptum, vidit
D. Pfeif-

D. Pfeiffer quemadmodum ipse testatur, (d) continet 103. libros in quibus 5278. orales Traditiones, quæ in Alcorano non reperiuntur. De Commentatoribus autem hisce Alcorani, exactissime præ omnibus aliis nos informat, Celeberrimus, & a nobis hõc in negotio, jamjam sæpissime citatus Philologus *Hottingerus in Promptuario suo.* (c) Quoniam vero Promptuarium illud, non adeo vulgare est, ut omnium teratur manibus *ὡς ἐν τύπῳ καὶ συνόψει*, ex eo quæ hic facere videntur excerpemus. Distinguit vero Ille Commentatores Alcorani (I) *in eos qui jam in Europæorum scriptis libræ g₃ citantur*; ut sunt (A) *explicatio Alcorani Beidavi*, (quia Möllerò (f) Alcorani vocatur Exegeta) quæ contracta videtur ex Zamhaschario, versatur autem (1) in ostendenda cohærentia textûs plane infociabilis, (2) in tradendis originibus vel integrarum Suratarum, vel partium singularum, (3) notandis variis lectionibus. Extat hæc explicatio in Bibliotheca Tigurina. Titulus ejus vertente Zechendorfio (g) hic est: *Interpretatio Præfeclorum sive Censorum Ecclesiasticorum, sive Literatorum sive Sacerdotum Padawi*; (alias Baidavi, ut nos legere solemus) (B) *Zamhaschari*, vicinus DEI vocatus, quod propter Meccam habitavit, commentatus est in Alcoranum sine exemplo. Opus enim aliquot Tomis absolutum conscripsit, quod uno nomine *Alchischaph* i. e. *Revelatio* dicitur. (C) *Mubamedis Ben Ahmed Comment. in Alc.* quem citat Seldenus (h). (D) *Golius*, ut supra etiam observatum, edidit Surat. LXI. Aciei inscriptam cum Comment. *Gelalodini* interpretis celebris & recepti. (II) *in eos qui nominatenus tantum sunt cogniti, hosque iterum subdividit* (N) *In eos qui Alcoranum commentariis illustrarunt simpliciter*, quorumque scriptis expressè nomen *Explicatio* præponitur quales sunt: *Ibn Geveri, Ibn Mondari, Ibn Abbi Harben, Azzeddini fil Abdassolomi, Abi Saudikadzi, Emadini Sechavai, Abdolvabedi fil. Almoniri, Ben Ali Aphuai, Benhajeddini Cophitæ, Dirinei, Ismaelis fil. Ketiri, Katzruai, Ilmeddini Balkinai, Ibn Nakibi, Abi Giafariis fabri æmarii, Samini Halebensis.* (Ξ) *in eos qui circa lectionem Ἐπεὶ ἔστιν magis occupari maluerint e. g. (1.) recordatio priorum, de lectionibus, (2.) Liber electus, de lectionibus Abdolghabari. (3.) Cippus, Themani Alphares. (4.) Hortus (Libri nomen) de lectionibus, syntaxis Haseni fil. Mubamedis Bagdadensis. (5.) Tractatus de lectionibus Ismaelis Andalusii (6.) expositio significationum de lectionibus, Haseni Iranai. (7.) Explanatio Lectionum Abdorrhamani Zaklei. (8.) Correctio lectionum Abdon Monhemi.* Ad horum etiam numerum, quantum nobis videtur, quam maxime accedunt, eumque augent *Recensitores sive Masoretæ Arabum*, quos inter

ter præ aliis eminebant Celeberrimarum *Academiarum Cufensis & Bazoven-
sis* Professores, qui vel diversas in Alcorano lectiones, in punctatione præser-
tim ubiqve obvias notarunt, quorum nomina etiam recensente *Hottingero* (i)
ad emendationum Alcorani exemplarium marginem celebrantur, & præ cœ-
teris ex eorum numero notandi sunt, *Atsemus, Hamsa, Kesaus*. Vel in eo
diligentiam suam nobis commendarunt, quod omnium Alcorani versuum,
vorum & literarum numerum exacte computaverint, cujus & diligentia spe-
cimen citatò locò exhibet *Hottingerus*. (2) *In eos qui commentaria aliorum
vel contraxerunt, vel explicuerunt, e.g.* (1) *Viscera, medulla Keschaphi,
Balkinei*. (2) *Viscera Keschaphi vicini DEI, Bardæi*. (3) *Keschaphus di-
midiatu*s* i. e. contractus Ibn Moniri*. (4) *Haschia Akmel, Eddini, Baber-
lai, super Keschaphum*. Denique (7) in eos qui observationes, exercita-
tiones, animadversiones in Alc. congesserunt, ut sunt: (1) *Exercitatio-
nes Coranica* quæ extant in *Bibliotheca Leidensi* (2) *Margarita continuata in
Explicationem Alcorani Magni*. (3) *Judicia Corani Tachavai*. Præter ad-
ductas vero in Alcoranum, quarum numerus est sat amplus, lucubrationes,
hinc inde autores quosdam adhuc citatos invenimus, huc utiqve referendos.
Sic e.g. *Hoornbeckius* (k) meminit commentatoris Alcorani Turcici, nomine
Tefrans Joabir. *Hottingerus Abunazarum* (l) *Explicationem fragment*
(sunt enim *Sur, XX*) *Alcoranici Kaballisticam sive Magicam* (m) *producit*.
Item p. 59. *de paraphrasi quadam Persica in Alcoranum*, quâ *Cl. Golius* in-
structus fuit verba facit. Denique in *Actis Erudit. Lips.* (n) *Speculationis cu-
jusdam Arabica in Alcoranum* mentio occurrit.

- (a) *Diss. de Eccles. Muhamed. p. 54. sqq.* (b) *De Fab. Mohham p. 40.* (c) *In Hist.
Relig. p. 333. conf. & de Sunna*, cujus auctor allegatur *Flaku Hottinger in H.
E. Sec. XV. c. 15. f. 2. p. 655. & Hoffmann in umbra in luce p. 33* (d) *In Pansophia
Mosaica c. 3. §. 2. p. 163.* (e) *p. 155. 199.* (f) *in Homonymose p. 252.* (g) *vid.
Langius de Fab. Mohham. p. 35.* (h) *in Lib. de Jure Nat. & Gentium. vid. præcip.
p. 428. 610.* (i) *in Thesauro Philologico. p. 41.* (k) *in Summa Cont. Relig. p. 80.*
(l) *in Hist. Or. passim.* (m) *H. O. p. 387.* (n) *anno 1688. p. 218.*

§. 12. Restat ultimo loco ut paucis dicamus de Refutatoribus Alcorani.
Refutari vero in cepit hic liber non tantum novissimis hisce temporibus, sed
jam plurima ante secula refutatum invenimus. Sic enim antiquos quosdam
scriptores, contra Muhamedis fidem Græco-Latinos exhibet *Le Moyne*. (a)
Et Monachus quidem Dominicanus, nomine *Reichard*, ferme ante tria jam
secula demortuus, & in Babylonia literis Arabicis operam navans, refuta-
tionem Alcorani in se suscepit, ut videre est apud *B. Lutherum*. (b) Imo an-
no 1540. alius Monachus Carthusianus *Dionysius van Ridel* ejus refutatio-

D

nem

nam composuit, (c) cui plane cœvâ est *Job. Cantuazeni Regis CNPolitani, Christiana & Orthodoxa assertio*, contra Mohameticam fidem, *græcè conscripta*, latinitate donata a *Rudolpho Gualtero Tigurino* Basil 1543. in fol. Hos in sequuntur *Job. Andreae* Confusio Sectæ Mohammedanæ. *Job. Galensis, Angli, Tr. de Muhamedis vita & doctrina. Widmanstadii nota ad Theologiam Muhamedis & Alcorani Epitomen, Phil. Guadagnoli Apologia pro Christiana Religione contra Ahmed Persam.* (d) *P. Nau refutatio Alcorani per Alcoranum. D. Henrici Leuchters Alcoranus Muhammedis, Cornelii Ulybagii Anti-Christus Muhametis, Petri Holmii Consideratio Theologiæ Muhammedis.* Et *Pet. Abbas Cluniacensis* dicitur, *Summulam brevem* scripsisse contra hæreses & sectam Diabolicæ fraudis Saracenorum sive Ismaelitarum Muhamedem sectantium, (e) Quorum omnium agmen merito claudit *P. Maracci tum Prodrumus refutationis Alcorani*, licet illi inepta quædam & ridicula inseruerit, ut sunt illa de Miraculis Ecclesiæ Romanæ, quæ verò illi, ut Romanæ Ecclesiæ addictissimo Socio fortè minus vitio verti debent; cum *Refutatio ipsa*, supra jam a nobis indigitata quæ prodiit Anno 1698 Patavii in fol. hoc titulò: *Alcorani Textus universus, ex correctioribus Arabum exemplaribus descriptus, ac ex Arabico idiomate in Latinum translatus; appositis unicuiq; capiti Notis atq; Refutatione.* Recensent hanc refutationem *Lippsenses in Actis.* (f) Vide etiam *Henr. Morum* (g) qui ex *Job. Andreae* confusione Sect. Muhammedicæ miracula quædam impostoris refert & visiones, easque examinat. Et *Hornbeckium* (h) ut & *Job. Forbes a Corse* (i) Cæterum qui de Alcorani fideiqve Muhammedicæ Refutatoribus plura desiderat, evolvere si placet, potest *Henr. Mublium* (k) *Wagenseilium* (l) *Gisbertum Voëtium* (m) & *Casp. Sagittarium* (n).

- (a) In *variis Sacris P. I.* & quidem *Bartholomæi Edeffensi confutationem Hagareni* p. 302 sqq. & aliud adhuc scriptum contra Muhamed p. 429. sqq. (b) *Tom. VIII. Jenensi fol. 2.* (c) Vid. *Schweigger in Pref. Versioni sua præmissa.* (d) hanc maxime commendat *Hackspan ad Niz. zachon p. 257. & 292.* (d) Vid. *Job. Forbes, a Corse in Instr. Historic-Theolog. L. q. c. 3. n. 9. p. 177.* (f) *Anno 1699. p. 247.* (g) *Opp. Theol. p. 164.* (h) In *Summ. Controv. Relig. p. 81. sq.* (i) In *Instruët. Hist. Theol. Lib. q. c. q. p. 178. sqq.* (k) In *Apologia Talmudis*, ubi eos qui perstringendis, denudandisque Alcorani fabulis vel Latinò Gallicove Sermonè, jam olim invigilarunt, sigillatim ac ordine producit. (l) In *Prefat. ad Tela ignea Satana* p. 46. sq. (m) In *Bibliotheca Studiosi Theol. Lib. II. c. 5. p. 709. sq.* conf. & *Act. Erud. anni 1692. p. 329.* ubi qui contra Muhammedanam religionem, & Alcoranum stylo certaverint ordine ex Maraccio referuntur. (n) In *Introduct. in Hist. Eccles.*

S. 13. Et

§. 13. Et sic B. L. id quod propositum erat est dispositum, spicæ sunt collectæ; sin verò hac in collectione, quippiam sit appositum, spicis minus conveniens, expetimus Censorem, animo secum hoc revolventem. *Errare hominis est.* Sin verò videbimur quædam omisisse consideret quisquis lectorus erit, *Spicilegium*, non accuratam nos instituisse messem, Tibi interea *Summe DEUS* pro concessâ tuâ
Gratiâ

SIT SOLI GLORIA.



Ad Cl. & Nob. Dn. MANZELIUM
Epistola Gratulatoria.

Libentissimè Tibi de isto eruditionis
Tuæ Specimine gratulor, optime
MANZELI, qui jam diu his oculis meis
conspexi, quo ardore rectum Studiorum
Tuorum tramitem decurras, quæquè ala-
critate contendas ad finem, à DEO Tibi,
ab ipsâ indole Tuâ, à charissimis parenti-
bus præstitutum. Sanctæ illi DEI Ecclesiæ
Te consecrarunt, & Tu pietate Tuâ, seriâ
illâ & religiosâ, tanto jam officio præludi-
ne sine fructu in illo aliquando verferis.
Nam SINE DEI NUMINE NIHIL EST IN HOMINE,

D 2

NIHIL



nihil EST INNOXIMUM. Quo angulari quasi la-
pide posito ipsum Theologiæ Tuæ ædifici-
um, omnibus partibus suis probè solideq;
coagmentatum, extruis & consolidas. Cu-
jus rei verissimum Tibi præbere testimo-
nium possum, qui quotidie in ædibus meis
cum commilitonibus Tuis compares &
diligentiæ pariter Tuæ atq;vè judicii prom-
ptissimam reddis rationem. Ne dubita-
re quidem aut parentes Tui debent, aut
qui patriæ Tuæ præsumt, fore, ut instru-
mentum aliquando sis Divinæ gloriæ, non
inane eq;videm & æris ad instar tinnulum.
Sed firmissimis veræ pietatis & Divinæ no-
titæ præsiidiis instructum. Quod ut fiat,
Divinæ Tibi gratiæ uberrima augmenta
ex toto pectore adprecor. Scr. in musæo,
d. XVI. Aug. MDCCI.

JO. FECHT,
D. P.P. Conf. Adf. & Super.

Nobilissi-



Nobilissimo, Clareqve Docto Dn.

RESPONDENTI

S. P. P.

PRÆSES.

Non facile quis vere eruditorum erit, qui conatus hos tuos Cl. Dn. MANTZEL improbet, quin potius pro laude dignissimis habeat eosdem quilibet sincerus literarum amator. Hoc enim veræ eruditioni est proprium non tenebras quærere aut umbram, sed lucem: Scire enim nostrum, quid est, nisi & sciat alter? lumen sub modio quid prodest? & eruditio sub solo cerebro cui usui? Mundus equidem, qui vult decipi, de eruditione iudicat aliter, nimirum non ex publicis speciminibus quibus prodimus in cathedram, quæ habet pro tricis Scholæ, sed ex discursitationibus, quibus prodimus in publicum, auram captantes vulgi. Orbi vero literario, qui sapit, placet contrarium. Sub oculis vulgi minimè degentes amat eo magis, ceu Cas-



fii & Bruti imaginibus similes, de quibus in
elatione Junia non gestatis cum alia plu-
rima ducerentur, Tacitus, EO IPSO, inquit,
PRÆFULGEBANT, QVOD NON VISEBANTUR.
Modo ibi ubi decet fructibus eruditionis
frui liceat, Sic & tu doctissime Dn. MAN-
ZEL studiis hactenus tuis non sine nomi-
nis tui commendatione navasti operam.
Discursitationes non amas, forum tuum est
Museum, publicum in quod prodis Sugge-
stus & cathedra. Hic verus inclarescendi
modus, cujus hodie egregium edis speci-
men. Gratulor tibi de eodem animitus. Sic
pergas, & Patriæ tuæ eris ornamentum,
parentumque integerrimorum, qui in de-
liciis te habent gaudium. Nec deerunt
Patroni studiis qui adsint, & pro merito
eadem promoveant. Gratia Domini sit
tecum, eaque quæ ex toto pectore tibi ap-
precor concedat largiter. Vale faveque

Scribham Rostochis

d. 1. Sept. 1701,

ADDICTISSIMO T.

כשעלה

כשעולה הייתה קתדרה מנצלי
 והללתי עובר הזה חובה ינחני
 לך אשאל שלום אבינו בשמים
 יהי לו חפץ לכרון את למודים טובים
 אשר למדת מין המורין הרבנן
 והיו לכבוד האל לאבות ברנן

*Hisce Clariff. Dno. Mantzelio, praesentis dissertationis Authoris eruditissimòs
 gratulari, eidemq; quavis fausta à DEO apprecari voluit, ejus amicus in-
 regerrimus*

M, CHRIST, DIET, HALTERMANN, Rost.

En Saamen/ der geschwind' aus seiner Burgel schleffet/
 Steht man in schönster Blüht zwar eh' für andern siehn/
 Doch so die Sonne drauff nur heisse Strahlen schleffet/
 Da isst mit solcher Blüht im Augenblick geschwehn.

Der aber volle Zeit zu seiner Blüht gewinnet
 Setzt einen stärckern Halm/ der voller Saft und Krafft/
 Der durch der Sonnen Hit so leichtlich nicht zerrinnet/
 Den weder Sturm noch Wind von seiner Stelle rafft.
 Das merckt ein Käyser woll/ drum er bey sein Regieren
 Dis ins Gedächtnis ägt / und les den Wahl-Spruch seyn:
 Lil' doch mit Weil/ dabey muß man den Scepter führen/
 So Anfang/ Mittel/ End / soll treffen überein/
 Es hat bey Mehren auch Bedenden dis erwecket /
 Drum solches Sprichwort man aus deren Munde hört:
 Verspahre deinen Raht/ bis daß die Erde decket
 Die trübe Schatten-Nacht/ die dir Nachdencken lehrt
 Der Sinn ist dieser: Daß man nicht so fort ausfahre
 Mit dem/ was ohngefehr sonst in dem Munde fällt /
 Besondern selbiges zur späten Nacht verspahre/
 Da denn die lange Zeit ein ander Urtheil stellt/
 Dem seh ich kommt auch nach mein Freund / dem ich verbunden/
 Nah' dem Geblühte nach/ noch näher am Gemüht/
 In Dessen Sinnen hat dis Raum und Plaz gefunden/
 Was da am sichersten bewahrt der Ehren Blüht.
 Er Lilt zwar hin den Ort der Ehren zu besteigen/
 Doch Weilt Er auch dabey / dis zeigt die Arbeit an/
 Die da sein kluger Sinn erdichtet ihm als eigen/
 Und manche späte Nacht gewendet hat daran;
 Drum die Erfahrung selbst muß dieses Urtheil sprechen/
 Was so hervorgebracht bleibt / und behält den Ruhm;
 Auch *Fama* selbstien wird ihm schon den Lorbeer brechen /
 Der für die schwere Müß ihm bleibt zum Eigenthum.

So

So Eile demnach fort / mein Werthster / doch mit Weile /
Und schone keinen Schwelz / auch nützet bitter Wein /
Er spanne ferner auff / doch nicht zu starck / die Pfelle /
So wird das Ziel so gut als schon erlanget seyn.

De 1740

Solches wollte aus naher Freundes-Pflicht dem Hn. Respondenti
nachsetzen; Sein damahliger Opponent

JOACHIMUS DARJES, S. S. Th. Stud. Rost.



RAn man den Rosenstock doch noch von weiten merden
Bey seiner reichen Blüht, mit welcher er kan stärken
Die / so da durstig sind nach klaren Rosen Saft /
Und ihrem muntern Sinn mittheilen starke Krafft.

Herr Mangel / wehret Freund / ER lebt im Rosen-Garten /
Will ER mit seiner Flor nicht eins den Herbst erwarten ?

Gibst ER dann schon zur Zeit des Sommers zu verfehn /
Was Er im Rosenstock betrachtet und gesehn ?

Doch will ich Rosstock und auch Keypzig iht nicht fragen
Nach Seinem Lebens Kauff. Ein bloß Papier soll sagen

Was ER in Wissenschaft und Künsten hab gethan /
Dies zeugt Sein kluger Geist, dies zeugt der Alcoran.

So gehet! ein feter Fleiß muß seine Früchte zeigen /
Und *Fama* selbst kan nicht dessen Ruhm verschweigen /

Der sich im Musenburg an Büchern hat ergetzt /
Und seines Nahmens Ruhm im Rosenstock einest.

Fahr fort / O Herzens-Freund. GOTT segne Sein Beginnen /
Der Anfang müsse stets ein gutes End gewinnen /

Auff Last folgt endlich Lust / nach Mühe kommt der Lohn /
Neun Jungfern binden ihm schon seine Ehren Kron.

Diese Zellen hat aus aufrichtigen Herzen seinen Ruhmwürdigsten Hn. Landsmann
zur Bezeugung seiner schuldigen Liebes-Dienste in ungeübter Feder setzen / und
aus gratulirenden Gemüht / zur Versicherung der beständigen Freundschaft / von
Jena übersenden wollen und sollen.

MATTHÆUS HENRICUS EGGERDES, Ph. & S. S. Th. Stud.



HEi mihi charus eris, monstras qui monstra Corani,
MANTZELI, Fateor; Nomen & omen habes.
Vis nomen? veritas & eris *Natus* (a) Tibi *Miles*,
Omen? Jam Cathedram militaturus adis,

(a) MANTSELIUS
per Anagr.
NATUS MILES.

Quæ mea? Dic fodes! Palmam cantare futuram;
Hosti nam peperit Fraus adaperta fugam.

Pergito sic, *Miles*, Musarum castra seqvendo!
Nascetur (b) meritis digna brabea tuis.

(b) *Nasci interdum & fieri, Fabr. in
Lex. sub voce hat p. 1655.*

*Sic Clarissimo Dno Respondenti, quem praterea Auctorem novi, Constubernali-
olium per aliquot annos in se gerrimo, atq; ex Amicorum flore lectissimo gra-
tulando applaudere voluit*

J. PRÜSSING, Warenâ-Mecl. S. S. Th. Stud.





D: De 1740

ULB Halle 3/1
000 875 937



